

runt ordinata media, et hæc sunt merita.

VIII. Quare, cum in loco nullatenus Augustinus locutus fuerit de electione in ordine intentionis, sed ut invenitur in mediis, quæ propriissime eliguntur ad finem, supponunt vero præcessisse intentionem finis qua homo eligitur ad gloriam, et ejus causa, (quæ finalis est, ut docet Concilium Tridentinum) disponuntur media, non fuit necesse Augustinum quidquam retractare de hac doctrina tradita ab eo in isto libro ad Simplicianum, sed solum supplere id quod in hoc loco non tractaverat, scilicet quod gratis etiam homines via intentionis eliguntur ad gloriam, electione non supponente merita, sed faciente. Quod accurate præstitit post exortam hæresim Pelagianorum, quia occasione illius magis explicavit, quomodo electio sit pure gratuita, etiam ordine intentionis, et secundum primam electionem ad gloriam ut intentam, ut ex locis supra citatis constat, et absolute electionem Dei non supponere diversitatem, seu inæqualitatem in eligendis (quæ utique venit ex diversitate meritum) sed facere docuit epistola cv, et epistola cvi, explicans eadem verba Pauli Rom. ix: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, etc.* Et de eodem videri potest libro de correptione et gratia, c. vii. Non ergo necesse est dicere quod in hoc retractavit Augustinus sententiam, sed supplevit, sed explicavit quod ante non ita necesse fuerat explicari.

Ad secundum locum Augustini ex sermone septimo de verbis Domini, dicimus verba ipsa Augustini sic haberi: «In hoc capite dicimus, quoniam quos voluit Dominus hos elegit. Elegit autem sicut dicit Apostolus, et secundum gratiam suam,

et secundum illorum justitiam.» Unde videtur inferri, quod prius elegit Deus homines ad gratiam, et visis meritis ex gratia procedentibus elegit secundum eorum justitiam ad gloriam, quia hæc datur ex justitia.

Sed respondetur hunc locum si bene inspiciatur, potius stare pro nobis, quia loquitur Augustinus de electione circa eosdem, non circa diversos homines, cum dicit quod Dominus elegit quos voluit, elegit autem, et secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam. Eosdem ergo quos voluit elegit secundum gratiam, et secundum justitiam; et non dicit quod elegit primum ad gratiam, deinde ad justitiam, id est, ad gloriam: quomodo enim per ly justitiam, potest intelligi ipsa gloria: non enim gloria est justitia, sed datur secundum justitiam: est ergo sensus quod ad regnum elegit secundum gratiam, id est, mere gratis, seu motivo gratuito, et titulo justitiæ. Hoc est ergo quod nos asserimus, quod ordine intentionis, et respectu finis intenti elegit secundum gratiam, seu motivo gratuito ex parte intendenti; et hoc est secundum gratiam suam, hoc est gratis ex parte sui; ordine autem executionis secundum illorum justitiam, quia mediantibus meritis eos fecit electos, retribuendo eis secundum justitiam, non quod merita fuerint motiva electionis intentivæ ad gloriam, sed effectus, et media, per quæ data est illis gloria secundum justitiam. Ecce quomodo sensus verborum Augustini salvatur in nostra sententia sine ulla violentia, nec in illis opposita habet fundamentum.

IX. Omitto alias auctoritates minoris ponderis, quæ ex Chrysostomo, Prospero, aliisque citantur, et facile juxta expositionem auctoritatibus allatis datam exponi possunt.

Tertio arguitur: Deus in ordine intentionis eligens Petrum, eligit illum ad gloriam, ut ad coronam, et præmium, non ut ad donum gratuitum: ergo in illa intentione efficaci non movetur titulo gratuito ad dandam eam efficaciter Petro, sed titulo meritorio: ergo non ante prævisa merita. Hæc ultima consequentia est manifesta, quia non vult illam ante prævisum aliquem titulum dandi, sed titulus est meritum, quia respicit præmium et coronam: ergo non ante illud efficaciter vult coronam dare. Prima vero consequentia patet, quia corona et præmium ita se habent correlative ad merita, ut sine illis intelligi non possint, sicut nec pater sine filio, nec est intelligibile quod ratio præmii, et coronæ alio titulo detur quam per merita: ergo in eo signo et instanti in quo relucet gloria ut præmium et corona, relucent merita ut titulus et motivum dandi illa. Antecedens vero probatur: Deus ordine intentionis vult efficaciter gloriam ea ratione, et modo, quod ponenda est in re et non aliter, alias efficaciter non vellet illam, si non intenderet illam eo modo quo ponenda est in re: impossibile enim est efficaciter rem aliquam intendere intendendo illam, ut de facto assequendam: ergo non alio modo quam in re ponenda sit. In re autem non ponitur nisi aut corona, et præmium, et non titulo gratuito: ergo ut corona debet intendi. Quod si alio titulo intenderetur danda, quomodo in re non illo titulo daretur, sed diverso?

Confirmatur, quia gratia data antiquis patribus per Christum non potest efficaciter intendi ab hoc decreto, nisi præcedant merita Christi, etsi non existentia, tamen ut motiva dandi istam gratiam in eorum remunerationem anticipatam: ergo etiam licet merita præ-

destinati secutura sint per modum effectus ex illa intentione, tamen antecedere possunt ut motivum efficaciter dandi gloriam intuitu illorum; et sic non ante ipsa prævisa intendetur gloria ut efficaciter danda in præmium.

X. Respondetur distinguendo antecedens. Deus eligit Petrum ad gloriam, ut ad coronam, et non ut ad gratuitum donum, ex parte rei intentæ, et volitæ, concedo; ex parte rationis, et motivi intendendi, nego. Ad consequentiam: ergo non movetur ad dandam eam efficaciter titulo gratuito, sed ex justitia, distinguo; titulo se tenente ex parte rei dandæ, et consequendæ, concedo; titulo se tenente ex parte motivi intendenti, nego. Itaque id quod Deus vult dare Petro quando eligit illum ad gloriam, non est aliud quam corona, et præmium dandum per merita, et intuitu meritum in executione, et hanc rem volitam sic intendit Deus dare; sicut in re danda est; cæterum non intendit Deus totum hoc quod est dare gloriam, et coronam ex meritis accipiendi motivum intendendi ex meritis: hoc enim impossibile est, cum etiam ipsa merita daturus sit, et hoc non potest esse ex meritis, scilicet quod ipsa merita velit dare ex meritis, nec supponere potest ipsa merita, et ex eorum suppositione incipit intendere præmium, et coronam, si quidem merita ipsa a Deo ipso causanda sunt, non supponenda. Non possunt autem merita se habere ut objectum primo intentum, seu primo cadens sub intentionem, quia non se habent ut ultimus finis, sed ut via, et medium ad finem: ergo neque possunt præbere motivum intendendi finem, quia motivum intendendi, non est id quod se habet ut via, sed quod pertinet ad ipsum finem, ejusque bonitatem. Habemus autem ex Conci-

lio Tridentino sess. vi, c. vii, quod gloria est causa finalis ipsius gratiæ, et consequenter meritorum, quæ ex gratia procedunt, et a qua accipiunt valorem. De ratione autem causæ finalis est ut sit id cuius gratia media sunt volita, et præbeat motivum volendi, non a mediis accipiat. Ergo in ratione intendendi gloriam ut finem, merita non dant motivum, sed potius ipsa gloria ut finis dat motivum ad volendum merita, et gratiam.

Ad probationem autem antecedentis similiter dicitur, quod Deus eo modo, et eo titulo intendit gloriam dandam, a quo datur in re, distinguo; eo titulo, et eo modo ex parte rei volitæ, et intentæ, concedo; ex parte rationis, et motivi intendendi, nego. Res enim volita est corona danda titulo debiti, et ex meritis moventibus ad dandum illam in re; motivum autem intendendi totum hoc, scilicet coronam, et merita, quia totum causandum est a Deo, et nihil supponitur ab ipso, est aliquid anterius meritis, non tamquam titulus dandi in re, sed tamquam motivum intendendi gloriam, quæ est causa finalis, et titulum assecutionis ejus quæ sunt merita: motivum enim intendendi est bonitas divina, non titulus ex parte hominis se tenens, qui est meritum.

XI. Instabis: Gloria ut corona non addit supra entitatem gloriæ nisi denominationem extrinsecam, et aliquid rationis, si quidem eadem gloria dari posset ex liberalitate, nulla reali mutatione facta in ipsa gloria. Denominatio autem coronæ, et præmii sumitur per respectum ad merita, quia præmium, et meritum correlativa sunt: ergo non potest efficaciter intendi ut corona sine intentione meritorum, quia nulla denominatio extrinseca potest esse volita, nisi forma denominans volita sit.

Respondetur gloriam ut coronam et præmium importare respectum ad merita, sed tamquam ad effectum subsecutum, non tamquam ad motivum intendendi ipsam coronam, ut est causa finalis meritorum. Sicut etiam finis per actum intentionis attingitur, non absolute, sicut per actum simplicis voluntatis, sed relate ad media ut acquirendus per illa: et tamen hic respectus est ad media ut ad effectus, non ut ad motiva finis intendendi. Sic gloria ut corona, est finis ut relate ad media moralia, quæ sunt merita, ut effectus, non ut motiva intendendi.

Ad confirmationem respondetur, quod gratia data antiquis patribus, non ita comparata est ad merita Christi, sicut gloria comparatur ad merita nostra, quia gratia antiquorum patrum non fuit causa finalis meritorum Christi, sed effectus illorum, sicut et nostra gratia: est enim inferior ad merita Christi; et sic non se habet ut finis illius. Unde potius gratia, et dignitas Christi, et merita ejus se habent ut finis; nec enim comparatur ad gratiam nostram ut pura, et præcisa merita ad præmium, sed ut redemptiva et satisfactiva ad æqualitatem pro culpa; et sic dativa, et causativa ipsius gratiæ, non solum dispositiva ad illam. Merita autem redemptiva, et satisfactiva ad æqualitatem superiora sunt ad gratiam, et non sunt propter illam tamquam propter finem cuius gratia, sed tamquam propter finem effectum; et sic debent præcedere ista merita etiam ordine intentionis tamquam motivum, et finis ipsius gratiæ, et justificationis nostræ. Unde inter causas finales nostræ justificationis ponitur a Concilio supra citato gloria Dei, et Christi: pertinent autem merita ad gloriam Christi, quia redemptiva sunt, et ordinis hypos-

tatici: ergo et ad causam finalem: ergo ordine intentionis præcedunt gratiam, tam nostram, quam antiquorum patrum. Nostra vero merita non sunt superiora ad gloriam, sed respiciunt illam, ut causam finalem, et respectu illius se habent ut media moralia, quæ quidem movent ad dandum in executione finem, non ad intendendum, quia solum præstant titulum dignificativum personæ ad obtinendum tale præmium, non motivum intendendi illud ut finem in Deo. Non est autem possibile quod media præbeant motivum intendendi finem, cum potius finis ut intentus sit motivum volendi media; et sic supponunt anterius motivum ut intendatur ille finis.

XII. Quarto arguitur: Non potest dari duplex voluntas efficax circa idem objectum, nisi detur duplex connotatum correspondens in ipso objecto, seu effectum ad extra ex tali duplici voluntate resultans, ut saltem detur duplex motivum et titulus volendi rem illam, sed in ipsa gloria volita ordine intentionis ante prævisa merita, et volita ordine executionis post prævisa merita, non relucet aliqua diversitas, aut diversum connotatum, nec alio titulo datur gloria in re quam titulo meriti, et debiti, cum ipsa detur per modum præmii, et coronæ: ergo non datur duplex voluntas efficax, altera ante prævisa merita, et ordine intentionis, altera post prævisa merita, et ordine executionis. Major probatur, quia voluntas efficax est quæ respicit rem ut de facto ponendam: ergo duplex voluntas efficax aliquid respicit duplicatum ex parte ipsius effectus, et illud connotat, alias si idem omnino quod una voluntas ponit de facto, alia etiam ponit, et non amplius, nec alio modo, una ex illis superfluit. Minor probatur, quia in primis

illa voluntas prima, et antecedens quæ est ante prævisa merita nihil producit de facto, et in re per se solam, et independentem a meritis, et posteriori voluntate, quia quidquid intendit voluntas prior, ponitur de facto, et in re per voluntatem executivam, et secundam: ergo nihil productum, et in re positum correspondet uni voluntati, quod non correspondeat alteri; et sic vel illa prima non est efficax de se, et independentem a secunda, vel est superflua. Quod vero non alio titulo prior voluntas præbeat gloriam quam secunda probatur, quia titulus, et motivum prioris voluntatis ante prævisa merita non est motivum ex debito, et justitia, quia sic esset ex meritis: est ergo liberalitatis, et gratiæ, sed in re non datur gloria ex liberalitate: ergo non datur voluntas efficax gloriæ ut efficax ex hoc titulo. Patet consequentia, quia titulus efficacis voluntatis est titulus ponendus de facto in re: ergo ubi non de facto res posita per talem titulum, non est titulus efficacis voluntatis. Nec potest hic confugi ad efficaciam ordine intentionis, et non ordine executionis; quia si illa voluntas ordine intentionis non ponit per se ipsam in existentia, et de facto rem quam intendit, per se efficax non est, sed totum efficaciam, quod habet, ex ordine executionis est; et sic frustra vocatur efficax distincta ab executione, cum non nisi per executionem efficax sit. Si vero per se ipsam illa intentio ponit rem de facto, et in existentia: ergo aliquid ei correspondet in re ex vi efficaciam suæ, quod non correspondet efficaciam executionis, et illud non est assignabile quid sit, nec distinctus titulus, quia non datur in re titulo liberalitatis gloria in adulto, cui datur in præmium. Vel si idem, correspondet efficaciam intentionis, et executionis: non ergo

efficax est voluntas intendens, ut intendens, sed ut exequens. Et hoc est in quo maxime insistunt oppositi auctores, quod voluntas intentionis solum sit inefficax, nusquam autem detur efficax in vi intentionis tantum, quia tota ratio efficaciam est executio.

Confirmatur, quia merita se habent ut media moralia, quæ per se non efficiunt, aut præbent finem, sed movent voluntatem dantis ut illum det: ergo debent supponere voluntatem dantis non determinatam, nec motam ad dandum præmium, seu finem: nam si supponunt motam, et determinatam, ipsa nihil operatur; et sic non servant ut media ad assecutionem finis: nihil enim assequuntur in sua linea moralis motionis, cum non moveant ad dandum finem, sed motam supponant voluntatem: si autem movent, et determinant, non autem motam supponunt: ergo præbent motivum dandi gloriam; et sic ante ipsa merita prævisa non datur Deo motivum dandi gloriam efficaciter, et intendendi illam; præsertim quia efficax voluntas respicit effectum ut egredientem a proximis causis suis: sine hoc enim non respicitur ut de facto positus; merita autem sunt causa proxima dandi præmium ex parte ipsius merentis.

XIII. Respondetur hoc argumentum a nobis solutum esse supra disputatione v, art. 1, agendo de efficacia ordinis intentionis, et executionis. Nunc breviter dico, quod efficacia intentionis, non est efficacia efficiens, et producens de facto per se solam, seu exequens efficienter, sed finalizans, et movens efficientem ut producat; quod est esse executivam finaliter, non effective: sed illa motio non debet indifferenter, et indeterminate movere, et dependenter ab alio extra determinante, scilicet

a consensu meo, cum ipse etiam consensus causandus sit a Deo, sed debet esse determinata ex se, et consequenter efficax, sed in sua linea, et genere dumtaxat, scilicet in genere intendendi, et finalizandi: inde enim movetur efficiens efficaciter ut producat, et ita illa intentio per se solam est efficaciter finalizans, sed per causam efficientem, et exequentem est producens executive, et effective in re, quasi efficiens, et exequens causa ministret causæ principali, et intentivæ, et per istam quasi per manum suam operetur. Unde quando dicitur, quod voluntas efficax est quæ respicit rem ut de facto ponendam: distinguo; respicit effective executive tantum, nego; antecedens executive, vel intentive, transeat; ita quod intentive efficaciter pertineat ad ordinem intentionis, et ad lineam finalizandi: executive autem efficaciter ad ordinem executionis. Et cum petitur, ut assignetur quid in re correspondeat illi voluntati intentivæ, si efficax est ex se, respondetur quod in re non respondet aliud, quam id quod producitur per ipsam voluntatem exequentem: nec enim ordo intentionis dicitur efficax, quia per se ipsum, et seorsum ab executivo ordine aliquid producat, et exequatur in re, cum ordo intentionis non dicatur efficax executive, sed intentive, seu directive. Quod si non exequitur, nec oportet aliquid ei correspondere in re ut executum: non ergo distinguitur a voluntate, et ordine executivo ob diversam mutationem in re executam, et ei correspondentem, sed eadem res ut de facto executam, et ut de facto intentam, fundat hos diversos respectus et diversa connotata respectiva ad duas voluntates, seu ad duos ordines voluntatis Dei, qui eandem rem potest respicere diversis formalitatibus, ut intentam,

et ut executam, et hoc sufficit ad distinguendum voluntates in Deo, de quo videri possunt quæ diximus loco citato. Cogimur enim ponere istas duas efficacias, tum quia datur duplex causalitas finalis, et efficiens de facto causans; tum quia efficacia solum executam, et non per se ab intentione finis derivata, est efficacia per accidens eveniens, non per se intenta ex vi connexionis cum fine intento.

XIV. Quando autem objicitur, quod nec etiam illa voluntas respicit illud objectum sub alio titulo dandum, dicimus quod non respicit gloriam sub alio titulo dandam in re, et executive, nisi ut præmium, sed hunc titulum præmii dandi respicit intendendo, et dirigendo ut fiat: ordo vero executionis exequendo, et faciendo quod directum est. Unde non datur gloria duplici titulo ipsi beato, sed attingitur idem titulus duplici ordine, et voluntate a Deo collatore gloriæ, tum intendendo, tum exequendo. Unde etiam solvitur alia replica, quia illo titulo, et motivo, quo intenditur gloria ante prævisa merita, non redditur in re: ergo ille titulus superfluit. Antecedens constat, quia intenditur ex liberali motivo, et ante merita, redditur autem solum ex meritis. Sed respondetur distinguendo antecedens: illo motivo, et titulo quo intenditur, non redditur illo motivo et titulo formaliter, transeat; illo motivo, et titulo virtualiter, nego. Nam in illo motivo quo Deus intendit gloriam virtualiter, et ut effectus consequuntur merita ut media, et illa sunt titulus, quo redditur gloria in re: sicut sanitas intenditur ex motivo meæ convenientiæ, non tamen consequitur mea convenientia ut medio, sed dicta vel pharmaco. Motivum ergo intendendi non est titulus dandi, sed ratio et principium unde nascitur titulus dandi, id est, merita. Et ad

instantiam quod illa voluntas intentiva non respicit per se ipsam existentiam gloriæ, ut de facto, distinguo; non respicit existentiam exequendo illam, transeat; dirigendo, et intendendo, ut de facto ponatur, nego. Nam ipsa etiam existentia, et productio gloriæ intenta est, et circa existentiam ut ponendam in re versatur intentio, sed non exequitur hoc per se ipsam effective, sed per aliam voluntatem ex se ortam, et derivatam, et executricem sui; per se autem executio est finalizando, et dirigendo, non efficiendo. Unde habet in se quod sufficit ut determinata, et efficax sit in suo genere et linea, scilicet intendendo, et per modum finis movendo. Et hoc est quod aliqui dicunt illam voluntatem intentionis esse efficacem radicaliter, quia licet in genere movendi finaliter, et intendendi formaliter, sit efficax, est tamen principium, et radix efficaciam executivæ, quia ex motione finis oritur efficacia agentis: et ita totum quod est in efficacia efficientis, et quoad productionem seu assecutionem gloriæ, et quoad titulum dandi illam ut præmium, est virtualiter in intentione finis, non tamen datur alio titulo gloria ratione intentionis, alio ratione executionis, sed ille titulus qui hic exequitur, scilicet ratione meriti, ibi intenditur, licet ex motivo bonitatis divinæ, quæ non est titulus ex parte hominis se tenens, hic solum est meritum, sed est motivum, et ratio huius tituli.

XV. Ad confirmationem respondetur, quod media moralia, movent voluntatem dantis præmium per modum medii quo in re fit executio, et assecutio præmii, sed supponunt voluntatem motam per modum finis, et intentionis, quia non exequitur hoc voluntas dantis præmium nisi ex aliquo fine præsupposito, et præintento. Et sic quando infertur: